

Corvus et Grammaticus

Aliter, ut constat, sonuit *v* littera apud Latinos, aliter apud nos. Primo enim, usque ad rei publicae exitum, idem valuit quod *u* in Italico *uomo* vel *ou* in Gallico *oui* (nostri linguarum studiosi signo *u* solent uti); Caesarum aetate in spirantem bilabialem sonoram (res novae nova nomina poscunt) paulatim concessit, quem sonum etiamnunc in Hispanico sermone invenimus, ut *b* in verbo *cabeza*; numquam autem, ut videtur, in spirantem labiodentalem mutavit, qua ratione nos nostrum *v* enuntiare solemus ¹⁾. Quod verbum igitur nostris litteris *vivere* scribimus, id Ciceronis aetate *vivere* scriptum lectumque esse (etsi aures imperitorum offendit, religiosas nimium in eo praesertim, quod minus ipsi calleant), res est iam diu a viris doctis explorata ac gravissimis confirmata argumentis: quibus tamen, iam inde a praeterito saeculo collectis ²⁾, novum quoddam addidit vir in Litteris Latinis clarissimus, Iulius Marouzeau ³⁾, in eo libello qui iure in discipulorum manibus versatur quique Gallice inscribitur „*La prononciation du latin*“ ⁴⁾. En ipsa eius verba: „*On ne comprend pas... la fable de Phèdre (Append. 21)*“ ⁵⁾, où le cri du corbeau est pris par un passant pour un bonjour qu'on lui adresse (aue!), si l'on prononce à la française: avé“. Nec semel, sed saepius rem eandem inculcavit ex alio in aliud opus tralatam, ut in eo libro, ubi argutissime bestiarum vocibus utitur ad rectam Latine enuntiandi rationem restituendam ⁶⁾: „*Au sommet de l'arbre le corbeau croasse: hâw... hâw! Ici il faut raconter une fable de Phèdre: un promeneur, dit le fabuliste, entendant ce cri, croit que quelqu'un lui dit bonjour... Qu'est-ce à dire? Il a cru entendre le mot have, qui veut*

1) Plura de hoc in eo libello, quem de Latine enuntiandi ratione sumus edituri.

2) W. CORSEEN, *Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache*, Leipzig, 1868 (altera editio anno 1870 prodiit); E. SEELMANN, *Die Aussprache des Latein*, Heilbronn, 1885.

3) Nuper animadverti eodem argumento iam usum esse E. H. STURTEVANT, *The Pronunciation of greek and latin*, Chicago, 1920, p. 22.

4) Paris, 1955 ⁴, p. 23.

5) Falso legitur apud Marouzeau 126.

6) *Récréations latines*, Paris, 1940, p. 33. Adde *Introduction au latin*, Paris, 1943, p. 19.

en effet dire bonjour; mais comment aurait-il pu confondre si le v de have, au lieu de sonner comme le w de wattman, se prononçait comme le v de navet?“. Quod scilicet propter viri doctissimi auctoritatem in quaedam opuscula transiit, quae de eadem re nuper proderunt. Quamquam rei inanitas ipsa in oculos incurrit: ecquem corvum audivimus *hau hau* crocitantem? Novum corvi genus atque omnino inauditum, et Varroni qui corvi nomen ex eius voce ductum arbitratur: „pleraeque (aves) ab suis vocibus (nomen acceperunt), ut... corvus“⁷⁾; et Augustino, qui quendam nimis saepe „cras“ iterantem haud insulse interpellat: „dicis cras cras, factus es corvus“⁸⁾; et illi medii aevi doctori, quem in disserendi ratione subtilissimum Iacobus Passavanti doctrinae inania fastidientem inducit et, quaecumque ad id tempus coluerit, valere iubentem:

linquo coax ranis, cra corvis, vanaque vanis;
ad loycam pergo, quae mortis non timet ergo.⁹⁾

Haec omnia ad sonum quendam gutture expressum pertinent (cfr. Verg. *Georg.* 1,423: „ovantes gutture corvi“), et cum usu communi probantur, tum verbis ipsis Graecis et Latinis aliqua soni similitudine cum re concinentibus: κρόκετον, *crocire, crocitare*, confer Germanicum *krähen*, Anglicum *croak*.¹⁰⁾ Quid tum? inquires, quid Phaedri fabula? Eam paucis stringam, si quis minus meminerit:

quidam per agros devium carpens iter
AVE exaudivit et moratus paululum,
adesse ut vidit neminem, cepit gradum.

Cum circumspectans errore haesisset diu...
ostendit sese corvus et supervolans
AVE usque ingressit.

Cuius fabulae vim omnem explicant Martialis versus (3,95,1 s.):
numquam dicis have, sed reddis, Naevole, semper,
quod prior et corvus dicere saepe solet,

et Macrobbii fabella (*sat.* 2,4,29): „(Caesar) sublimis Actiaca victoria revertebatur. Occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem instituerat haec dicere: ave Caesar victor imperator“. Apud hos, ut apud Phaedrum, corvus inducitur doctus humanas voces imitari,¹¹⁾ quod hoc avium genus cum psittacis habet commune: quis ignorat corvum illum ab Edgardo Poe versibus effectum? Recte igitur audierat Phaedri viator, aberravit grammaticus ac de via alios deduxit. Aures potius praerberet pupo in cunis vagienti, id est, si Latine enuntiamus, *uaghianti*: fletum ipsum infantis sibi audire videretur.

Patavii

Alfonsus Traina

7) L. L. 5,75.

8) *Serm.* 224,4; praeterea *ibid.* 82,114: „cras cras corvi vox est“. Confer Germanicum carmen a W. Wackernagel in eo libro prolatum, qui inscribitur *Voces variae animantium*, Basel, 1869, p. 127: „Der Rab thut taeglich singen — Sein groben rauhen Bass; — Heut will es ihm nicht glingen, — Drum singt er cras, cras cras.“

9) *Specchio di vera penitenza*, 3,2.

10) Cfr. V. BERTOLDI, *La parola quale mezzo d'espressione*, Napoli, 1946, pp. 63 s.

11) Huiusmodi corvum Martialis salutarem appellat (14,74,1); de his multa etiam apud Plin. 10,121.